

1. Banzer, Marcus: De scorbuto. 1648.
2. Banzer, Marcus: Controversiarum Medico-Miscel.
Lanciarum Decus II. 1648.
3. Coselius de Pöglinover, Heinrich: Enodationem leg. XXIV,
XXV, XXVI. tit. pand. postremi ... subiciet. ... 1648.
4. Coselius de Pöglinover, Heinrich: Enodationem leg. XXIII.
tit. pand. postremi 164. subiciet. ... 1648.
5. Coselius, Heinrich: De testamentis. 1648.
6. Burkard, Furtus: De curatoribus bonorum. 1648.
7. Neuenfeld, Konrad: De bello et pace. 1648.
8. Neuenfeld, Konrad: Tiberii principatus confirman-
di arcani. 1648.
9. Quenstedt, Joh. Andr.: Sepultura veterum. Sive de
antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Grae-
corum, Iudaeorum et Christianorum. disputatio IV. 1648.
10. Quenstedt, Joh. Andr.: Sepultura veterum. Sive de an-
tiquis ritibus sepulchralibus Romanorum, Grae-
corum, Iudaeorum et Christianorum. disputatio VIII.
1648.

11. Aemstert, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio VI. 1648
12. Aemstert, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio II. 1648.
13. Aemstert, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio VIII. 1648.
14. Aemstert, Joh. Andreas: Sepultura veterum,
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio III. 1648.
15. Aemstert, Joh. Andreas: Sepultura veterum
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum

- norum, Graecorum, Indaeorum et Christianorum.
 Aseptatis V. 1698.
16. Seppel, Konrad Viktor: De pleuritide. 1648.
 17. ^{Schreiter} Sperling, Johannes: De capite humano. 1648.
 18. Strauch, Augustinus: Insessorum hunc . . .
sistit . . . 1648.
 19. Suenus, Gulfried: De pignori et hypothecis
1648.
 20. ^{al} Wacken, Christophor: De jure sepulturae. 1648
 21. Coschius, ^{Henricus} Henrich: Decades duae quaestionum,
in jure civili Canonico, Fundali et Saxonico
maxime controversarum. 1649
 22. Coschius de Pezlinoweg, Henricus: De crimine laesae
majestatis. 1649.
 23. Gramis, Sigismund: De pleuritide. 1649.
 24. Ostorman, Joh. Erich: De consuetudinibus
veterum. 1649.
 25. Pomarius, Samuel: De noctambulis. 1649.
 26. Pitter, Samuel: De appellacionibus. 1649.

27. Schneider, Gossfried: De nudinis. 1649

28. Strauch, Augustinus: Theses juridicae
famae materiam publicae continentis.
1649.

29. Buzper, Marcus: Controversiarum Medica.

Miscellaneorum decas V. 1650.

30. Buzper, Marcus: ^{De peste} 1650.
Buzper, Marcus: ~~De peste~~
Buzper, Marcus: De motu solis spirali.
1650.

31. ~~Cordius de Pylivorez, Henricus: De tutela 1650.~~

Buzper, Marcus: Controversiarum Medica.
Miscellaneorum Decas IV. 1650.

32. Buzper, Friedr.: De motu solis spirali.
1650.

33. Cordius de Pylivorez, Henricus: De tutela 1650.

34. Cordius de Pylivorez, Henricus: De testibus 1650.

35. Cordius, Henricus: De donationibus inter
vivos 1650.

36. Cordius, Henricus: De successione legi-

time earumque jure. 1650.

1650, 86 Holtzmann Below

37. Lederer, Michael: De emptione et vendi-
tione. 1650.

- Pomarius, - Kolob 1650.
38. Pomarius, Jeremias: De noctambulis: 1650
39. Reusner, Joachim: De forma feudi 1650.
40. Reusner, Jeremias: De feloniam. 1650
41. Ritter, Samuel: De contractibus et obliq.
limitas: in genere 1650
42. Ritter, Samuel: De actionibus 1650.
43. Schneider, Konr. Victor: De calculo rerum 1650.
44. Schneider, ^{Müller} Gottfried: De militari testa-
mento 1650
45. Straneh, Augustinus: De peste pecoris
1650.
46. Sueros, Gottfried: De dividuo et indi-
viduo 1650.
47. Sueros, Gottfried: De crimine majestatis
humanae. 1650.
48. Sueros, Gottfried: Delicta privata. . .
placidae. . . disquisitioni subit. 1650.
49. Wendeler, Michael: De magistratura com-
muni, et in specie de quaestore, Judice et
Censore 1650.

Vale!

50. Wendler, Michael: De Aulco. 1688.

EXERCITATIO MEDICA
De
SCORBUTO

Quam
D. O. M. A. 1648

PRÆSIDE

Clarissimo, Excellentissimo ac experientissimo
VIRO

DN. MARCO BANZERO.
AUGUST: VINDEL: MED: Doctore & P. P.
ejusdemq; Facultatis Seniore, Præceptore, Fautore
ac Promotore suo ætatem colendo

Publico examini

Exercitij & veritatis ergo
proponit

ANTHONIUS GUNTHERUS *Billich/*
Jheverâ Frisius.

Habebitur in Auditorio
medicorum

ad. d. 9. Septemb.

WITTEBERGÆ

Ex officina Typograph. MICHAELIS Wendt/
ANNO MDC XLVIII.

EXERCITATIO MEDICA

SCORBU TO

D. O. M. A.

P. R. A. S. I. D. E.

Classissimo, Excellentissimo ac Excellentissimo

VIRI

DR. MARCO BARNERO

AVGUSTI VINDELI MEDICI DOCTOR & R. I.

einsehender Facultatis Seniore, Praeceptor, Tutor

ac Professoris honoris causa

libere exaravit

Exercitij & veritatis ergo

proponit

ANTHONII QUINTERII BARNERI

libere exaravit

habebat in Antiqua

medicina

in Antiqua

in Antiqua

Ex officio, Typographi, & Librarii

Anno MDCXLVIII.



EXERCITATIO MEDICA

De

SCORBUTO,

THESIS PRIMA.



Non in scitè Cicero *de senectute*, ait. *Ex hac vitâ discedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo: Commorandi enim natura nobis diversorium non habitandi dedit.* Quapropter homo etsi præstantissimum sit animal, varijs tamen, quibus ne unquam brutum, expositus est morbis, ut scilicet suæ fragilitatis & mortalitatis memor, de æterno aliquo hospicio sibi comparando cogitet.

II.

Ex morbis autem qui Corpus humanum maximè infestare solent non ultimas tenet Scorbutus, hisce regionibus jam non adeò in frequens affectus. Septentrionalibus tamen & inferioris Saxonix incolis frequentissimus. Quod enim Polonis est Plica, Lusitanis Phthisis, Alpinijs regionibus Bronchocele, Iudix Incolis lues Venerea, hoc illis est Scorbutus, affectus sanè stupendus Proteo non ab similibus de quo Ovidius *lib. 8. metamorph. fab. 10.* sequentes habet versus.

Nam modò te juvenem, modote videre leonem

Nunc violentus amor: nunc quem tetigisse timerent

Anguis eras: modò te faciebant Cornua taurum

Sepè lapis poteras, arbor quoq; Sepè videri

Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum

Flumen eras: Interdum undis contrarius ignis.

Quemadmodum enim illi jus fuit, in plures figuras transire ut ibid: loquitur Ovid. ita etiam scorbutus varias potest induere formas. Modò enim hunc modò illum simulat morbum: modò intensior est symptomatum savities, modò remissior; modò sanitatem

B 2

nitatem

nitatem promittit, modò mortem agrotò minatur; imò tantum fa-
cessit negotij interdum etiam peritissimis medicis, ut quid primum
aggredi, quid è postremum tentare debeant, sapius igno-
rent.

III.

Cum ergò sanitate nihil præstantius, medicisq; finis seu sco-
pus sit ipsa Sanitas, hocq; malum cum primis requirat experien-
tissimum medicum non meo iudicio oleum perdit unus aliquan-
do futurus Practicus, si in affectus hujus cognitione mature se exer-
cuerit. Interim facile nos veniam impetraturos speramus, si in
hujus affectus, utpotè tum cognitu, tum curatu difficillimi, tra-
ctatione, non omnia exactè absoluta dederimus. Quid verò inte-
rim humeri nostri valeant, quid è ferre recusent tentabimus.

IV.

Denominationem hujus effectus, (ut à nomine exordium
ducamus) quod attinet, communiter is Scorbutus vocatur. Et
quamvis in foro Latino locum non habeat hoc vocabulum, sed po-
tius à vernacula inferioris Saxonie incolis mutuo desumptum sit;
Tamen quia usu Medico jam receptum, meritò & nos illud retine-
mus. Mememores scilicet illius *Fernelij* quod in *pref. de part.*
morb. & sympt. habet. *Qui primi Omnium, medicine initia & quasi*
fundamenta jecerunt, jure quidem ac meritò id sibi laudi & gloria tri-
buerent, ut à se inventis & modò deprehensis inusitatisq; affectibus inaudi-
ta quoq; nomina arbitrarij suo imponerent. Sed quum ipsi rudem ad-
huc & incultam rerum cognitionem haberent, nomina morbis confinxer-
runt, non ex rei essentiâ, cui primum & maximè medemur, sed ex eo
quod sorte primum occurreret; quemadmodum etiam Livi Venerea hæ-
retas maximè aptavit nomina.

V.

Cum autem morbi qui corpus humanum invadunt dividi
possint in Sporadicos vel Communes, hi verò in Endemios & E-
pidemios, videndum ad quosnam hic affectus sit referendus mor-
bos.

VI.

Sunt autem morbi *Sporadici* ita dicti: illi, qui non univer-
sim multos, sed sparsim hunc vel illum invadunt. *v.g. si hic calcu-*
lo;

lo, alter lue Venereâ, tertius phthisi aut alio aliquo morbo laboret. Endemij dicuntur illi qui frequenter locum aliquem occupant, ejusdemque regionis incolas communem ob causam. v. g. aërem, aquam cibum, Potum corripunt: qualis est *Plica illa Polonica* de qua videatur *inter alios Hercul. Saxonia Pract. med. lib. X: & Clariss. Sennert. lib. V. Pract. Sect. 2. cap. 9. Epidemij* verò sunt, qui ejusdem generis plures ab eadem causâ non tamen vernaculâ simul corripunt. Suntq; plerumq; maligni & pestilentes, interdum verò hâc malignitate planè destituti. Quales morbi habentur apud *Hippoc. in lib. epid. descripti.*

VII.

Ex his facilè patet quibus hic noster affectus debeat accenseri morbis, Endemijs scilicet. Quod ipsum etiam experientiâ confirmatur, quia in superiori Germania non adeò frequens sed potius inferioris Saxonie incolas, utpote Westphalos, Pomeranos, Batavos, Frisios, & Septentrionales infestat. Sporadicum autem vel Epidemium aliquando hunc affectum fieri posse non negamus.

VIII

An autem hic morbus veteribus fuerit cognitus controversatur. Apud Plinium habetur peculiare aliquod morbi genus quod ille *Stomacacen* seu *sceletyrben* vocat. Ita enim ille *lib. XXV. cap. 3. Hist. Nat: Nec bestiarum solum ad nocendum scelera sunt, sed interim aquarum quoq; ac locorum. In Germaniâ trans Rhenum castris à Germanico Cesare promotis, maritimo tractu, fons erat aquae, dulcis solus, quâ potâ intra biennium dentes deciderent, compagesq; in genibus solverentur. Stomacacen medici vocabant & sceletyrben ea mala.* Hippocrates noster alicujus affectus lienis facit mentionem *lib. de Internis affect. sect. V. pag. 575. Edit: Foef: putant nonnulli fuisse scorbutum.* Verba autem ita se habent: *Venter inflatur, postea verò lien intumescit, durus est, eiq; dolores acuti contingunt. Color autem immutatur, & niger cernitur, pallidus & qui malicoriam formâ refert, ex aure & gingivis, gravis odor exhalat, eaq; à dentibus discessionem faciunt, & in tibijs ulcera qualia pustula nocturna erumpunt membra extenuantur neq; stercus per alvum demittitur. lib. eod: pag. 585.*

volvuli alicujus sanguinei meminit, quem *Ioannes Langius epist. med. misc. 2. ep. 3. & 14.* putat fuisse scorbutum. Ex ore malus odor expirat, à dentibus gingivæ abscedunt & ex naribus sanguis effluit. Interdum verò ex cruribus ulcera erumpunt & hæc quidem sanescunt, alia verò exoriuntur color niger est, cutis tenuis ad deambulationem & exercitationem alacriter se habet. Graphicè etiam eund. depingere videtur, *lib. 2. prædict: sect. 2. pag. 109. edit. Foes.* Quibus lienes magni, iis gingivæ vitiantur & os graveolet. Quibus autem lienes magni sunt neq; sanguinis eruptiones contingunt, neq; os graveolet, in tibijs ij mala ulcera habent & nigras cicatrices. Quod si manifestus quispiam ad fuerit faciei abcessus, aut vox gravis sit, aut dentium dolor, ijs sanguinis eruptionem ex naribus fore spes est. At qui partes eas que sub sunt oculis vehementer sublatas habent, magnos habere lienes comperies. Quod si pedum quoq; tumores adsint, ex aquâ etiam laborare videbuntur. His probè Consideratis censemus veteres scorbutum vel certè affinem huic morbum hisce descripsisse, & proindè non planè nullam Scorbuti cognitionem habuisse, licet non adeò accuratam, quam nos hodiè habemus. Et forsàn etiam ob temporis diuturnitatem & soli ac cœli varietatem, non parum suam mutavit formam & morem. Sed ad ipsam definitionem properandum, quam tamen ob affectus disparitatem, partium affectarum multitudinem & humoris morbifici naturam occultam, dare, minus promptum ac facile. Interim hanc ad exemplum *Senertianæ* proponere libet.

IX.

Scorbutus est prava quædam & specifica corporis, imprimis viscerum nutritioni dicatorum, dispositio, ab humore præcipuè melancholico peculiariter corrupto orta, gingivarum corruptionem, oris fœtorem, anhelitus difficultatem, crurum debilitatem, maculas, aliaq; plurima & varia mala secum plerumque trahens.

X.

Causa hujus mali est humor maximè melancholicus singulari modo depravatus. Accumulatur autem in parte quadam humor vitiosus; dum is vel sensim congeritur, vel confertim in
eand.

eandem influit. Prior modus quando scilicet humor sensim colligitur, fit vel ipsius partis, vel etiam alimenti vitio: Ob partis vitium fit: Cum vel concoctrix vel expultrix facultas suum negligit officiū, nā si concoctrix facultas est debilis, parum rectè elaborat alimentum. Expultrix si vitiosa, excrementa aliās etiam parvæ quantitatis non expellit. Accidit autem hoc cum primis ob morbum aliquem conformationis, quando scilicet propter obstructionem, meatus corporis non patent, ut necessariò talia excrementa cumulentur. Alimenti verò vitio fit & generatur humor noxius, cum illud vitio sum est, & tale ut magna ex eo copia excrementorum generetur, vel cum crassa & viscida generantur excrementa, ad quorum expulsionem facultas expultrix non sufficit. Posteriores modū generationis vitiosi humoris, quando nempe is in partem aliquam confertim influit, cum rarò in hoc affectu ut infra fusius videbimus locum inveniat, sicco quod ajunt pede præterimus.

XI.

Primò enim, quod attinet ventriculum, cum ejus officium sit ex assumpto cibo & potu idoneum futuræ sanguificationi chylum præparare, id si non fiat vel ob Partis vel etiam ob alimenti vitium, & actio ejus turbetur, non potest non totum inde corpus ingens detrimentum capere. Hinc vitium quod commissum est in primâ concoctione, non emendatur in secundâ aut tertiâ, ut loquuntur Philosophi *Secundo*, ubi chylus jam est elaboratus, naturaliter vi caloris per vasa & meatus à Natura destinatos partim ad epar, partim verò ad lienem abit: Ad lienem qui tendit aliquo modo crassior est illo qui ad epar. Licet enim lien sit Spurium epar, & in defectu hepatis officium ejus suscepisse observatum fuerit, non tamen tam laudabilem unquam sanguinem elaborari posse à liene quam ab epate, sed rudiorem tantum censemus: si enim meliorem & spirituosiorum sanguinem elaboraret, non solum *ὅτι οὐ νόσον εἶναι εἴη* esset sed primas in sanguificando partes obtineret ut rectè loquitur Sennert. *lib. i. instit. cap. 9. de usu lienis*. Unde idem Sennertus *eod. cap.* non incongruè concludit, quod *Lien nimirum eam chyli partem quæ epati analogâ & conveniens non est ad setrabat, & ex eo*

eo quod in ea utile est, sanguinem coquat, cum pro suo, tum pro partium
quarundam vicinarum, Omenti, mesenterij &c: alimento: Inutile a-
queum crassum ac feculentum per convenientes vias evacuat, aqueumq;
vel ad renes & vesicam, vel ad album, vel ad habitum corporis vel de-
niq; ventriculum ableget, crassum per album cum vel sine excrementis
excernat. vid. plur. loc. alleg.

XII.

Hæc omnia, si rectè sese habeant, & quodvis Organon suo
probè fungatur officio, laudabilis isq; bonus generatur sanguis:
si autem vel unum aut alterum læsum, vitiosus ac corruptus. Hinc
chylus ille vitiosus qui ad lienem abit non potest Corpori idone-
um & satis laudabilem sanguinem præbere, sed cum lien sit *ἀεὶ
ὄς ἢ ἀπορροεῖς*, ut Alex. lib. 2. prob. 44. Hipp. lib. 1. de morb. mu-
lier: & lib. de vet. med. loquitur: illum instar spongiæ allicit retinet-
que, varijsq; morbis & symptomatibus materiam præbet. Acce-
dit & hoc quod partes illæ crassiores quæ ex hepate illuc confluunt,
non rarò morbum hunc augeant & sensim obstructionem atq; pu-
tredinem pariunt.

XIII.

Hiscæ præmissis subjectum ipsius scorbuti jam venit inqui-
rendum: Illud verò cum clariss. Sennerto in *Fontem seu locum* in
quo scilicet generatur & *Sedem* in quâ generata ista colluvies con-
tinetur distinguimus.

XIX.

Fontem seu locum statuimus esse in mesenterio, Omento
& primis vijs locisq; inter ventriculum epar & lienem medijs &
hiscæ visceribus vicinis. Rectè enim Fernelius lib. VI. *patbol. cap.*
7. inquit. *Ego tamen hoc affirmo & profiteor, cholera, melancholia,*
diarhœa, dysenteria, cachexia, atrophia, languoris, lentarium, erran-
tiumq; febrium latentium deniq; morborum causas me in his plerumq;
sedibus animadvertisse quorum depulsione deploratis salus redderetur
Sedem autem in quâ generata ista colluvies continetur, statui-
mus esse totum venosum & arteriosum genus. Viscera namque
ista affluentem & elaborando alimento, ob malam & depravatam
sui dispositionem, idem malum communicant, ad eoque quod in
Cor-

Corporis debebat cedere alimentum causæ morbificæ supplementum addit.

XV.

Notandum hîc, in omni quidem ferè scorbuto aut primario, aut certè simul cum alijs visceribus afficiliem. Interim tamen illud neecessarium aut perpetuum non est. Cum vel clar. Sennertus id exemplo quodam lib. de Scorb. demonstrat.

XVI.

Cum porrò absq; causarum cognitione medicinæ Dogmaticæ studioso nihil tentandum ne scilicet Circumforaneorum more videatur rem gerere, in id illi cum primis incumbendum ut prius cognitis causis quam citissimè & felicissimè morbum depellere possit. Quapropter etiam nobis datâ definitione scorbuti, ejusq; subjecto posito, ad causarum Investigationem non nihil propius erit accedendum.

XVII.

Omnia autem illa causæ morbificæ fieri possunt, quæ corporis naturalem constitutionem immutare valent, proinde videbimus quomodo hæ omnes in *διχοτομίαν* redigi possint. Sunt autem hæ vel internæ vel externæ. Internæ sunt quæ intra corpus nostrum consistunt. Externæ verò quæ extra illud. Primum igitur de externis cum plerumq; Internæ ab ijs deducantur & originem habeant agendum.

XVIII.

Externarum autem causarum numerus petitur à rebus sex non naturalibus dictis, quales sunt. Aër, Cibus & Potus, Somnus & Vigilæ, Motus & quies, Excreta & Retenta atq; Animi Pathemata. Ubi Autores monent, priores tres Aërem nempe Cibum & Potum inter causas externas potius esse referendas, reliquas verò ad Procatarticas. Nos autem non adeò rigorosè litigabimus, si quis etiam posteriores illas externas vocare velit, non enim hac in re cardo disputationis nostræ vertitur.

XIX.

Aërem ergò primò quod attinet, cum nemo, eo carere possit, plurimum ad scorbuticum humorem producendum valet &

B

miras

miras mutationes in corporibus nostris efficere aptus est. Qua
 propter venti cardinales hîc cumprimis considerandi. Egregiè
 autem ventorum efficaciam nobis depingit Hipp. noster *aphor. V.
 sect. 3.* his verbis *Auster auditum habebat, caliginem obducit visui, ca-
 put gravat, membris tarditatem & languorem conciliat. Quum itaque
 ea tempestas increbescit talia invalidis accidunt. Contra Aquilo tusses
 movet, fauces exasperat, alvum indurat, Urinam supprimit, horrores
 excitat, lateris & pectoris dolores facit. Hoc itaq; dominante talia in-
 firmos expectare oportet. ead. sect. aphor. 17. talis habetur aphorif-
 mus. Quotidiana tempestates Aquilonia cogunt corpora firmantque,
 mobilia item & expeditiora, colorata & auditu valentiora reddunt.
 Alvus præterea exiccant, oculos mordent; & si dolor aliquis thoracem
 prius habuerit exasperant. Contra Austrina, corpora languida efficiunt
 & humectant, auditum habent, caput gravant, vertiginem oculis, tar-
 ditatem & languorem membris adferunt & alvum humectant. lib. de
 humoribus pag. 63. edit. Foes. ita ait *Austri auditus gravitatem adse-
 runt, oculis caliginem offundunt, capitis gravitatem inducunt, mem-
 brorum torporem ac languorem faciunt. & paulò post. Quod si A-
 quilonia fuerit tempestas, tusses sunt, faucium asperitates, alvi duriores,
 urine difficultates, horrores, laterum & pectoris dolores. Plura vi-
 deantur lib. de aère locis & aquis & in prognost. Nos hinc illud cui-
 libet perpendendum proponimus, an non homines illi qui in lo-
 cis paludosis, lacustribus & maritimis habitant quam maxime
 huic affectui sint obnoxij.**

XX.

Primum ab aère locum facile obtinet Cibus. Sicuti enim
 victu conveniente conservatur aliquamdiu nostra natura, hu-
 midumq; istud radicale (pejus licet absumpto) instauratur: ita
 etiam inconveniente victu propterea quod condiciones illas nu-
 tritivas non habet suâ Sponte corrumpitur & in quoscunq; morbos
 præceps quasi ruit. Ad hunc victum spectat. 1. Panis minus à
 furfure liberatus, induratus, vetus & submucidus & 2. Carnes
 fumo induratae omnes, ut suillæ, arietinæ, hircinæ, taurinæ,
 aliaq; constipationibus viscerum procurandis accommoda edulia
 3. pisces marini ad solem exiccati vel fumo indurati, item lacu-
 stres

stres & viscosæ substantiæ e quorum, numero anguillæ & aliæ 4. caseus vetustus putridus & olidus 5. ex oleribus cum primis brastica uliginosis locis reposita, cujus tamen malitia etsi nonnihil lardo injecto corrigi possit, non tamen omninò suam deponit malitiam. 6. Nimia & frequens variorum ciborum ingestio, cum enim natura ad tantam ciborum molèm concoquendam non sufficiat, accidit ut ea in corporis alimentum non cedat, sed ad obstructions & scorbuticos humores gignendos, vel etiam adangendos apta fiat.

XXI.

Secundum locum meretur Potus. Sæpius enim potu ferè delinquimus quam cibo. Plurimum ergò facit ad scorbutici humoris generationem 1. Aqua putrida ex stagnis & paludibus hausta, item quæ ab orbitâ solis remota, nec minus marina, quali plerumq; tempore necessitatis uti coguntur nautæ. & brevibus quo graviores crassiores & impuriore aquæ, eò magis etiam ad scorbuti generationem faciunt, sive potæ per se sive ad coctionem cerevisiæ aut cibi usurpatæ. 2. Vina crassa aquea & immatura. 3. Cerevisia non benè cocta cumq; paulo lupulo confecta, quæ ut Horst de scor. pag. 19. loquitur, præter alia nocumenta flatus, magnosq; in corpore humores accumulât, quæ aliàs additione lupuli salutarij corri untur, qui aperiendo abstergendosq; crassitiem obstructionis causam corrigit, adeosq; sanguinis defecationem, excrementitiarum partium separatione adjuvat &c. Huc cum primis spectat crapula sive diurna, sive etiam nocturna. Etsi autem nullâ in parte mundi cesset ebrietas, ut egregiè loquitur Plinius lib: XIV. hist. nat: cap. 22. Germanis tamen hoc vitium quasi cum lacte instillatur, hinc sibi servant hæc præmia quæ Plinius cap: cit: his verbis describit: *Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus effundentes plena vasa & (quæ sit pœna præsens) furiales somni & inquietæ nocturna.* Præmiumq; summum ebrietatis libido portentosa ac jucundum nefas. Posteriore ex ore halitus fœtidi, ac ferè rerum omnium oblivio, morsq; memoria.

XXII.

Hactenus de externis. Jam ad Evidentes sive Procatarticas.

B 2

Eticas. Ubi primum sese offerunt Somnus & Vigilia. De somno rectè Hippoc: lib: Pranot: pag. 47; edit. Foes. *interdiu vigilandum, noctu verò dormiendum esse docet.* Quapropter somnum meridianum & quæ fit statim post assumptum cibum & potum in Juvenibus & hisce similibus damnamus: Senibus verò quoniam ex somno novas adipiscuntur vires, cum primis si illo adsveti non adeò magnum in commodum posse adferre asserimus. Quid porrò utilitatis, quidue incommodi humano generi afferant Somnus & Vigiliæ brevibus docet. *aph. 3. sect. 2. qui talis Somnus & Vigilia si modum excefferint malum* Somnus enim, ut de eo prius agamus etsi insignes ac plurimas utilitates humano generi afferat, dum nempe cibos concoquit, dolorem mirigat, lassitudinem lenit & multa alia commoda præstat, quia tamen omne nimium naturæ inimicum, ita etiam non pauca in commoda adfert: caput enim gravat, mentis hebetudinem adfert, memoriæ jacturam & caput ad gravissimos morbos copiosâ humorum receptione disponit; Cum primis autem calorem nativum ut ad separationem ac depurationem alimentorum non sufficiat, obruit.

XXIII.

Vigiliæ, cum universum corpus exsiccent cruditatesque pariant, corpus mille possunt conterere modis & ad varios gravissimos quoscq; affectus dispositum reddere: quippe *Spirituum Omnium & tenuis substantia maximâ parte corpus defraudant, carnes colliquant, corpus ad tabitudinem ducunt* ut loquitur *lud. mercat. Tom. 1. quest. 165. n. 12*, ac proinde calidum nativum quo minus possit in concoquendis supervacuis humoribus incumbere, absumunt. Quapropter rectè Sennertus *lib. 2. part. 2. Instit. cap. 2. ait. Vigilia nimia per se fieri possunt cause morborum calidorum & siccorum ut februm acutarum, dum humores acres & adustos, si adsint accendant vel preparant. Per accidens verò vigilia sunt cause morborum frigidorum, quia calorem nativum debilitant ac dissipant humidumq; radicale absumunt.*

XXIV.

Ulterius. Quemadmodum motus & exercitatio modica corpus humanum alacre ac vegetum reddunt: ita & contra immodica

modica Spiritus dissipat, coctionem impedit & corpus refrigerat & hinc in inferioribus partibus corporis cruditates multæ cumulantur, quæ inde in reliqua viscera delatæ cum sanguine permiscentur.

XXV.

Multò minus corpus quod nimia funitur quiete & otio, durabile est, supino enim isto otio haud secus calidum illud nativum obruitur quam motu nimio debilitatur, indeque consequenter cruditates oriuntur, quæ affectionibus scorbuticis in corpore disposito facillimè præbent originem.

XXVI.

Excretorum & Retentorum Consideratio hic quoque non negligenda; dum enim in quâ libet coctione quædam sint excernenda, quædam verò retinenda, si hæc non rectè sese habeant & excernenda in corpore retineantur restagnant quasi humores & fero illi copioso egregia præbetur occasio. Huc cum primis facit hæmorrhoidum mensiumque suppressio, quæ ut innumeris morbis & symptomatibus ausam præbent; ita etiam non minus scorbutum excitare valent. Retinenda verò si eiciantur, vires deijciuntur & prosternuntur, calidumque nativum non parum inde periclitatur: exhausto autem illo quicquid deinceps assumptum fuerit absque ullâ coctione materiam scorbuticam adanget.

XXVII.

Jam ad ultimam accedimus e rerum non naturalium numero causam, Animi Pathemata videlicet. Ex his autem Mæror & Ira potissimum locum habent in hoc affectu. In illo enim sanguis & Spiritus ad interiora & principium suum recurrunt, ubi tanquam carceri inclusi, partibus vicinis siccitatem inducunt ijsque exustis sanguinem melancholicum & retorridum generant. In illâ Spiritus & sanguis quasi effervescent & cum impetu ad exteriora ab interioribus prorumpit. Unde Ira Spiritus & humores accendere & febrem inducere potest. Ira enim quantum valeat ad varios morbos variaque Symptomata producenda, vel illud saltem testatur, quod irati sæpius tremores artuum, convulsiones, cordis palpitationes similesque affectus patiantur.

XXVIII.

His meritò subnectimus Contagium & Dispositionem Viscerum, Primò ergo de Contagio agendum. Est autem hoc duplex: vel *Hereditarium* si scilicet vel pater solus, vel mater sola, vel uterque parens laborarint hoc morbo: hi enim per semen & sanguinem maternum possunt infanti hoc communicare malum. Secundo *Adscititium* vel enim à matre sive nutrice unâ cum lacte hoc instillari potest, vel etiam communicari per oscula & poculorum commercia. Cum autem hic osculandi modus & Poculorum commercium apud inferioris Saxoniae Incolas, utpote Westphalos, Pomeanos Batavos, Frisios sint in tam frequenti usu, hique maximè huic morbo sint obnoxij, non mirum unum ab altero tanquam purum ab impuro posse infici & contagiosum reddi. Quod cum egregiè Horstius in tractat. suo *de scorbuto* exposuerit, libet hic sequentes inde lineas petere. *Quia mirum (inquit) quod in Hollandiâ malum scorbuticum tam facile serpat, & in exteros etiam hospites grassetur, cum ibidem tot oscula, quot salutatio- nes, præsertim apud feminas, easq; non solum juvenculas (à quibus exosculatis fortè minor expectanda noxa, tum quod malo dicto non admodum obnoxie, tum etiam quod sicut Poëta dicit.*

— — — Molliæ semper
— — — Oscula delectent.

Ut quo quid jucundum ac delectabile magis eò minus noxium, propterea quod appetitus sequatur Imaginationem, cujus in humores & Spiritus vis maxima non contemnendis rationibus statuitur) sed pro dolor etiam vetulas, exuccas, exanguas, Solo ad spectu infantibus æstima- tiva facultatis operatione destitutis adhuc, horrendas; quæ si absq; osculo salutarentur de maximâ injuriâ contemptuq; insolito conquererentur. Quid mirum quod in civitatibus Asiaticis & inferiori Saxonica tam uberi proventu scorbutus seminetur, cum rarius in unâ mensâ convictores aliquot inveniantur, inter quos non quidam sint scorbutici; at hoc non obstante mos nihilominus communis observatur, ut pocula sint commu- nia, plerumq; tantæ magnitudinis, ut vix impletione secundâ sit opus, in quæ non semel sed multoties inter bibendum saliva scorbutica deponitur & à vicino ad vicinum (nefas enim & in honestum est in his locis apud plebe-

plebejos extra ordinem cuidam haustum propinare) unâ cum potulentâ
materiâ communicatur.

XXIX.

Diximus in præcedente thesi, per oscula & poculorum com-
mercia posse hoc malum communicari. In omni autem conta-
gio constat aliquid evaporare seminium scilicet ipsius contagij.
Jam verò oritur quaestio, Num omne quod à corpore morbido eva-
porat sit contragiosum. Hic observandum, vaporosum allud à cor-
poribus morbois productum in triplici esse differentiâ. Primò
enim in quibusdam morbis quod exhalat facile est dissipabile, &
pauissima utroquuntur aelivitatis, quod etiamsi naturam ipsius
morbi à quo oritur redoleat similem morbum tamen generare ne-
quit. Hujus generis sunt tumores præternaturam, ulcera, febres &
similes affectiones Secundo id quod evaporat, licet tenue sit, adeò
tamen acutum est & mordax, quod si corpus pravè dispositum o-
ffendat, calorem præternaturam excitat, ac forsan & non rarò fe-
brem illius generis quia seminarium est majoris efficaciam corpus-
que simili apparatu dispositum; Hujus naturæ sunt phthisis & alij affe-
ctus. Tertia caporans interdum adeò est subtile, mordax, acu-
tum & putrilaginosum & ad permeandum efficax quod sua vitia
prius imprimat quam dissolvi, corrumpi aut contemperari possit.
Hujus generis sunt pestilentes fomites & qui prodeunt à validâ
putrefactione aut à summo vitiato corpore Vid. Lud. Mercat.
quest. 167. Tom 1. Dicimus ergò, morbos illos in primâ differentiâ di-
ctos non adeò facile posse alios inficere, reliquos verò in secundâ
scilicet aut tertiâ ad quos etiam scorbutum nostrum referimus,
cùm non à simplici putredine oriantur, sed qualitatem aliquam
pravam & occultam conjunctam habeant maximè & quosdam vel
solohalitu contagiosos existere.

XXX.

His ultimo accedit Viscerum Dispositio prava, sive hæredita-
ria, sive adscititia. Ut enim non quodvis agens agit in quodlibet
sed in proportionatum: ita etiam quo magis viscera ista cum pri-
mis ea quæ supra in hoc affectu laborare diximus, sint vel naturâ
vel

vel ob morbosam constitutionem talia, eò facilius etiam possunt ab his causis, externis dictis affici.

XXXI.

Etsi verò hæ causæ ad morbum aliquem producendum sufficiant, non semper tamen sed demùm aliarum rerum accessione id præstare valent. Recenset autem ista Galenus noster lib. *de causis morb. cap. 2.* his verbis. *Nunc verò nihil tibi sit mirum si unumquodq; quod aliquid sit effecturum & tempus & magnitudinem exigat, ac præterea ut proximum sit, quod promptè habet patiendi naturam quoniam & si hæc desint, nec ignis comburere, nec gladius abscinde valet. Nec aliquid aliud in efficiendo potentissimum in aliud agere potest, quod ipso validius extiterit, aut ubi non intervenerit tempus effectum dignum. Super lucernæ quidam flammam nunquam totum effunderes oleum, nedum aquam & gladio incidere lapides nequaquam teneris, nedum adamantem. Requiritur ergò Primo. Tempus certum & determinatum, sicuti enim frige facti non statim ad moro igne incalescunt; quemadmodum etiam ardor solis non statim excitat Febrem: ita etiam non in quovis momento (cum secundum philosophorum sententias Nihil fiat in instanti) quivis generantur morbi. Rectè hoc describit Galenus *loc. cit.* his verbis. *Sed & hoc in eâ re quæ ad agendum potentissimam naturam habet, nimirum in igne, possumus intueri. Nam frige factos non absq; tempore ac viribus calefacit. Siquidem cum aliquando e locis gelidioribus discesserimus manus per maximam flammam ignis sine aliquâ noxâ transferimus. Requiritur etiam secundo Agentis & Patientis proportio quedam. ita enim Galenus *loc. cit.* cum jam causas intemperici calidæ examinasset ait. *Sed cur (inquiunt) non semper ob quamlibet harum causarum febris accenditur? Quoniam iis causa efficiens quantitas par non existit, & quæ est ejusdem in corpore affectus dispositio magnam in eo quod plus vel minus varietatem admittit, ac præterea animantium corpora plurimum alterum ad altero differunt in hoc ut aut facile aut egrè à naturali recedant habitu. Tertio, Contactus. Causa enim quæ morbum efficere debet, corpori proxima sit oportet. Quarto. Corporis aptitudo & dispositio ad patiendum. Unde rectè Galenus *cap. cit.* *Neg; omnis materia ab eodem (igni scilicet) accenditur, sed arentes quidem****

quidem calami, primo attactu inflammantur, lignis autem humidis ac viridibus ut accendantur, longum tempus est necessarium & paulo post. Quod enim jam calidum est paratius est ad hoc ut excessum caloris admittat, sicuti & frigidum ut plus satis frigescat, quod verò e diverso se habet ad hæc minimè est aptum.

XXXII.

Postquam hæctenus de externis scorbuti causis egimus, de internâ nunc etiam causâ nobis agendum erit. Est autem causa interna scorbuti humor melancholicus, crassus, seroso humore multo dilutus, in visceribus facultati naturali potissimum destinatis & inservientibus, omento ventriculo epate liene, primisq; vijs primum cumulat, inde toti venoso arteriosoq; generi communicatus.

XXXIII.

Explicatis itaq; jam causis, restant etiam quædam de signis tum diagnosticis tum prognosticis (quod tamen brevibus fiet) agenda. Petuntur autem Diagnosticâ alia potissimum ex loco ubi morbus ipse stabulatur ex inferiore scilicet regione ventris, alia ex symptomatis in extremis partibus corporis apparentibus. Vid. Salamon Albert. de scorbut. thes. 80. Cum vero (ut thes. 2. diximus) scorbutus noster quoad symptomata sit πολύμορφος ut non certò alicui signorum numero includi facile queat; Commodum tamen erit in tres illa classes distinguere. Et primùm quæ incipientem: post, quæ auctum: & demum quæ confirmatum scorbutum demonstrant, referre.

XXXIV.

Principium igitur ipsius Scorbuti quod attinet, satis obscurum illud est, & multi longo temporis spatio hoc malum tanquam colubrum in sinu foveant, antequam vel suspicio ipsius scorbuti quempiam corripiat. Etsi enim lassitudo Spontanea, distensio abdominis, crurum tarditas, murmura intestinorum, mesenterij obstructio, totiusq; corporis gravitas non levem de hoc affectu submiserint suspicionem, ex his tamen signis (utpote cum alijs etiam morbis familiaria sint) non temerè de scorbuto iudicandum

dum, quidquid etiam vulgus de dentium vacillatione & putridi odoris exhalatione iudicet.

XXXV

Ad Augmentum scorbuti Spectant, *primo* hæc signa *bes. præ.* citata si ingravescant, faciliusq; proinde cognitu est ipso principio. *Secundo.* Fator oris gravis, gingivarum pruritus, facies pallida, imò cum non facies sola, *sed cum universum corpus per inde ut in cachexiâ justo redditur Luridius florido vividoq; exutum colore atq; decore* ut rectè statuit *Salomon Albert. lib. de scorb.* Ventriculi appetitus dejectus, Hypochondriorum dolor, dolores vagi, lumbago, & alia Symptomata.

XXXVI.

Hæc symptomata si quotidie augeantur in statu esse hunc affectum statuimus, quibus deinde paulatim subsequuntur alia symptomata hisce sævitiâ non inferiora, v. g. Pleuritis notha, Arthritis, Epilepsia, Gangrena, Paralysis, hydrops, carus, deliria, membrorum contractio, convulsivi motus, cæcitas subitanea, Apoplexia, lipothymia cordis, palpitatio, Memoria læsio, strangulationis vetus, Sputatio continua & salivatio, sudor copiosus, Hæmorrhagia marium, icterus, color faciei pallidus & ad lividum vergens. Febres tertianæ, Quartanæ & inordinatæ, & ut brevibus rem concludamus, nullum ferè est symptoma quod non possit scorbuto esse conjunctum, ægrosq; scorbuticos miris excarnificare modis. Et tantum de Diagnostis.

XXXVII.

Prognosticorum Necessitatem & dignitatem cl. Sennert. pag. 1093. *Instit.* his commendat verbis. *Imò in omnibus morbis difficilioribus & periculosioribus Prognostico se munit medicus: ita enim omnem suspicionem & calumniam facile evitabit:* Quapropter de Prognosticis hæc nostra mens est. I. Scorbutum Hæreditarium & ab incunabilis acquisitum esse ferè incurabilem. II. In senibus & mulieribus esse curatu difficiliorem quam iu. Juvenibus & Virginibus. III. Principium scorbuti admittere curationem. Augmentum verò & statum si visceribus prava dispositio sit communicata aut nullam aut sanè difficillimam sed plerumq; ægros hoc malum usq; ad cym.

ad cymbam charontis comitati. Plura vid. apud *clariss. Sennert. lib. de scorb. Salamon Albert. & alios.*

XXXVIII.

Jam ad curationem. Etsi autem nobis non sit propositum eam ita accuratè ut à præclarissimis Practicis felicissimè fuit factum proponere, breviter tamen de exordio absq; sine incepisse videamur, de curatione quædam afferre libet. Absolvitur autem tota curandi ratio hisce tribus. I. Pharmaciâ, II. Chirurgiâ, III. Diætâ. de quibus deinceps ordine & quantâ fieri potest brevitate dicemus.

XXXIX.

Curatio autem pharmaceutica duplex; Methodica sive legitima ubi prius causa quam ipse affectus tollitur! vid. *Fern. lib. I. meth. mod. cap. IV.* Extraordinaria sine illegitima est, ea auspiciandi ratio, à quo maximè agrote periculum impendet, & in quod primum medentis consilium dirigitur. vid. *Fern. lib. cit. cap. VI.* De extraordinariâ nobis nihil in præsentî, sed tantum de Ordinariâ erit agendum.

XL.

Methodicè ergò scorbutum curaturo prius causa est tollenda, humor nempe melancholicus qui purgationem indicat, est extirpandus. Cum verò nemini non notum sit quam contumax sit ille humor, & quam agerrimè suo discedat hospicio, meritò sanè Purgationi præparatio quædam sive coctio ut vocant præmittenda, memores illius dicti Hippocratici *corpori ubi quispiam purgare vult, fluida reddat oportet.* Quatuor autem sunt medico observanda si velit corpus fluidum reddere. I. ut natura benè sit comparata ad excretionem. II. ut materia non repugnet. III. ut viæ sint liberæ per quas fieri debet purgatio sive evacuatio. IV. ut medicamentum analogum sit materiæ excernendæ. vid. *Holerij. Cons. in aph. X. sect. 2.*

XLI.

Sunt autem medicamenta illa quæ analogâ debent esse humori melancholico excernendo, digestiva seu præparantia dicta que naturam in coquendo impediunt & qualitates quæ caloris nativi a-

tioni ressiunt, mutant ut loquitur D. Sennertus lib. instit. V. part. I. sect. I. cap. V. & putantur à medicis esse talia quæ calefaciendo & attenuando frigiditatem & crassitiem humoris melancholici emendant. Commendantur ergò ex simplicium numero Rad: aristoloch. rot, ireos, gentian, scorzioner cichor, belenij & similes Herb. & Flor. genist. Fumar borrag. bugloss. scolopend. meliss. cuscus. cap. Q. chamad, chamepyth & c. Huc spectant & aquæ sirupi, succi, spiritus, essentia, extracta, sales & similia ex his parata, quæ brevitatis gratiâ consultò prætermittimus. Illud saltem observandum ne medicamenta specifica & anti scorbutica dicta, ut cochlear. becabung. nasturt. chelid. min. sium aquat. & c, prætermittantur, sed reliquis admisceantur. Salomon Albertus sequentem commendat formulam lib. de scorb. thes. 253. R. passul. corinth. syrup. de succo acetose inebriatarum ℥ j. S. Rad. quern polypod. ℥ ℞. Asari ℥ ij. Bistort. ℥ iij. Glycyrbizæ, oxylapath. ana ℥ ij. Cort: rad. cappar. superiore modo præparatarum & maceratarum ℥ ij. Tamarisci, sem. anis. fanis. ana ℥ j. S. Agni casti ℥ j. Urtica ꝑ. IV. Herb: cusent. Arcetose. cap. Q. lichenis petrei, scolopend. sive ceterach. officinarum. phyllitidis quam eadem lingua ceru. vocant. ana ℥ ℥. S. Thymi, Epythymi. an. p. ij. Flor: cord: demptis rosis an. p. j. cinnamom ℥ j. S. F. decoctio in aquâ purissimâ ad lib. j. In colaturâ clarificatâ ovi candido dissolve sachari albissimi q. S. Iterum coquatur ad sirupi consistentiam. Utatur quotidie Uns. j. S. cum. aq. scolopend. capillor. Q. lupuli. ana Unc. j. ad dilutam suavitatem, mista, ut bibi possit calidè q̄ horis antelu canis ingurgitari.

XLII.

Materiâ præparatâ purgatio instituenda. Purgandi autem sive evacuandi modus duplex est; vel enim materia unâ vice seu ut loquitur Sennert. pag. Instit. 1093. per aquale contrarium; vel partitis vicibus evacuatur. Priori modo inquit curari eos affectus qui leves, & eos qui extremè & valde periculosi sunt. Posteriori. illos qui medij quasi inter leves & periculosos. Vid. lib. V. Instit. Part. 2. sect. I. c. IV. Quo autem modo debeat procedi, egregiè docet Fernelius magni nominis medicus lib. 3. meth. med. cap. XI. de purg. Constantibus inquit viribus pauca cacochymia universe detrahi potest, præsertim si concocta sit aut tenuis, ab eaq̄ via pateant in alvum. Imbecillis autem viribus non modo multa sed & pauca

pauca

pauca cacochymia partite eximenda, non enim vel in leucoplegmatia, vel in cachexia humor quoque versum in omne corpus effusus potest ullius medicamento vi ex distantissimis locis per cacos occultosq; ductus universus in alvum confluere. Neq; ut sanguis in plethora exuperans semel & effatim totus ex aperta vena, ita multus humor & corporis habitu elabi profluereq; potest, atq; si id medicamento quoquam praestari possit, necesse tamen fuerit corpus graviter concuti, humores varie permisceri, torsiones molestas inferri, ac spiritus dissipari: hinc tandem concidere prosterne ac plerumq; exsolvi. vid. loc. cit. plura. Cum ergo secundum Fernelij sententiam validam purgatione corpus graviter concutiatur & humores varie permisceantur, utiq; per emixtionem ut loquuntur & levibus medicamentis humorem melancholicum quam fortioribus expurgandum statuimus Recte eum Fernel. lib. citat. cap. X. ait. At quoniam nos saepe multa latent nullis indicis comprehensa in cognitam laborantis naturam expedit blandis sensim pharmacis explorare, non temere vehementioribus impetere & labefactare: cognitis ante & exploratis naturis, tuta decernetur medicatio.

XLIII.

Sunt autem melancholicum humorem purgantia medicamenta fortiora, helleb. niger Lapis Lazuli, lapis armenus. Mitiora polypod. Epythymum. fumar. mirob. Ind. & quae primum merebatur locum Senna regina quasi melanagogorum nam ut Fernelius inquit lib. V. meth. med. cap. X. dunturnorum atq; lentorum morborum quas viscerum Impritas aut vetus obstructio genuit, singulare est praesidium. Serosum humorem (cujus hic etiam habenda est ratio) purgant, Flor. pers. radix Gralap. Gratiol. esula &c.

XLIV

Post cathartica ad humorem & affectum scorbuticum specifica sua vi peculiariter oppugnantia accedendum. Quorum inter praeparantia etiam mentionem fecimus. Horum autem formulas & compositiones describere, cum nimis operosum & prolixum foret, fatius est eas a Practicis petere. Illius porioni saltem meminisse sufficiat, quam rustici in Frisia Orientali uti solent, quamq; me etiam vidisse meminisse, etsi illam tanquam ingratham & abominabilem rejiciat Joan. Wierus lib. de Scorb. Descriptio talis est

lis est R^x. Vini Rhenensis mensuram sex quartarum singula quarta pen-
 dent lib: IV. medicinalis, rad: raphani majoris boni & recentis in mor-
 tario lapideo diligenter contusi ℥ iij. quæ cum parte vini dicti in ollulâ se-
 orsim mixtâ macerentur per horam integram: liquor fortiter expressus per
 linum cum sex vini dicti quartis commiscetur: deinde in eisdem vini
 portionem aliam immittatur separatim stercoris taurini & anserini par
 quantitas trium magnarum nu cum, ibidemq; per horam relinquatur:
 post validam inde exprressionem vino primò affundatur. Hinc R^x. nucum
 myristicarum caryophyllor: an ℥ ij. contuse seorsim linog; illigatæ, in di-
 cto vino suspendantur atq; eo modo horis viginti quatuor potus consistat.
 Inde quotiescunq; sitit ager largè bibit: nec aliam usurpat potionem
 donec integram consequutas fuerit sanitatem.

XLV.

Alterum ergò curationis membrum aggredimur quod de
 chirurgiâ agit; dispiciendum proinde quid illa ægris auxiliij affe-
 rat. Et si autem varia sint chirurgiæ remedia, præstantissimum
 tamen omnium est Venæ sectio. An autem illa hîc tentanda, con-
 trovertitur. Quapropter antequam concludamus tria veniunt
 præmittenda. Primum est. Venæ sectionem plethoræ, Purga-
 tionem cacochymix competere. Secundum. In scorbuto potius
 cacochymiam quam plethoram i. e. plus vitiosi humoris quam bo-
 ni & laudabilis sanguinis adesse. Tertium Ægrotum medici opem
 non prius implorare plerumq; quam ubi confirmatus jam sit af-
 fectus aut saltem adunctus. His ita præmissis negamus jam con-
 firmato morbo sive is sit in augmento, sive in statu Venæ sectio-
 nem (nisi aliud quid eam suadeat,) commodè & cum salute ægri
 posse adhiberi, idq; Galeni ipsius auctoritate moti lib. 4. de tuend.
 sanit. cap. 4. ita dicentis. *Inspicere verò & quantitatem conveniet. ut*
v. g. si bonus sanguis exiguus adsit, reliquus verò succus plurimus, utiq;
in his adstinendum à detractione sanguinis est; sin is quidem exiguus, san-
guis verò copiosus audacter incidenda vena est. In principio verò, cum
 tanta ad huc non adsit cacochymia, probè interim consideratis a-
 lijs signis permittentibus & prohibentibus tentari aliquando Ve-
 næ sectionem posse, non imus inficias. Tantum etiam de chirur-
 giâ.

XLVII. Ad

XLVII.

Ad diætã tanquam ultimum Curationis membrum res sex non naturales dictæ spectant. Quemadmodum enim ex his affectus noster originem ducit: ita etiam harum beneficio & præservatio & curatio potest institui. Requiritur ergò *cibus εὐχυλος ἢ εὐχυμος καὶ εὐπεπτος*. Proinde hîc locum habent. Panis triticeus probè à furfure liberatus. Carnes, vervec: agninæ, hædinæ, vitulinæ, gallinarum, pipionum, avium sylvestrum & montanarum. Pisces *saxatiles* & qui in petrosi promontoriis & ubi saxa sunt aut in rivis glareosis delitescunt ut vult *Salern. Albert lib. de scorb. tres 220*. Ex his autem meliores sunt qui carnem friabilem vel teneram habent, squamosi, non nimis magni nec pingues nimis ut loquitur *Senner. lib. Instit. IV. part. 1. cap. 3*. Primum itaq; locum obtinet *Salmo*. An autem inter marinos potius sit referendus pisces quam fluviatiles, disputant auctores: nos cum & in mari & in fluvijis reperiri Salmonem statuamus, hanc litem mittimus. His succedunt *Troctæ* quæ inter reliquos ferè pisces omnes maximè in delitijs habentur. Exceptis lacustribus, quorum caro aliquando, ut & Salmonum, pro pinguedine non nihil fastidij movet. Fundulos in super ægris tutò posse concedi statuimus. Vinum commendatur *Rhenanum simplex*, vel *absinthites*, *buglossatum*, *Veronicatum* vel *meracum usurpatum* aut aquâ fontanâ vel chali beatâ dilutum. Vid. *Math. Mart. lib. de scorb. thes. 132*. *cerevisia* probè lupulata & defæcata. *Secundo*. Aër calidus sit & siccus. *Tertio*. Somnus & Vigiliæ moderatæ. *Quarto*. Nec Motus & Quies modum excedant. *Quinto*. Animi Pathemata quantum fieri potest vitanda. Si deniq; *Sexto* retinenda retineantur, & excernenda excernantur, multum tum ad præservationem tum etiam, ad affectus hujus curationem commodi allaturum, concludimus.

XLVIII.

His ita brevibus videmur totam de scorbuto doctrinam absolvisse. Etsi autem adhuc non pauca haud parvi tum ad ulteriorem hujus affectus cognitionem, tum etiam ad ejusdem præserva-

servationem & Curationem momenti potuissent adduci: tamen cum hoc à præclariss: & peritiss: medicis quam diligentissimè & felicissimè fuerit factitatum, tum etiam ne nimis longa foret nostra exercitatio consultò ea interimimus. Plura ergò qui desiderat consulat cum primis Virum de arte Æsculapiâ optimè meritum *cl. Sennert. lib. de scorb. Serverinum Eugalenum, Balduinum Ronseum, Matheum Martini, Joannem langium, Salamonem Albertum, Joannem Wierum, Joannem Ecbrium & alios* hujus affectus scriptores non contemnendos ex quibus hæc quæ de scorbuto dixim⁹ pro pagellarum angustia nos delibasse ingenuè fatemur. Nos ergò quoniam exercitationem contexere nobis proposuerimus, hic calamum sufflamimus, & Medico Medicorum pro felici successu gratias agimus.




ULB Halle
002 684 632

3



VJ 17





37.
RATIO MEDICA
De
RUBUTO

nam
D. M. A. 1648

ÆSIDE
antissimo ac experientissimo
VIRO

O BANZERO.
EL: MED: Doctore & P. P.
Seniore, Præceptore, Fautore
suo ætatem colendo

co examini
& veritatis ergo
proponit

GUNTHERUS Billich/
verâ Frisius.

bitur in Auditorio
medicorum
d. d. 9. Septemb.

EBERGÆ
graph. MICHAELIS Wendt/
M DC XLVIII.